


Johann Gabriel Pries


**De Christo, Religiosis V. T. Hominibus, Ex Vaticiniis Et Sacrificiis Typicis Non Incognito : Pavca Praefatus Ad Sacra Natalicia ... Domini Friderici, Ducis Regnantis Megapolitani ... Die V. Idvum Novembris A. R. S. MDCCLXXV. ... Desiderat Atque Exoptat**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1775]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn88161520X>

Druck Freier  Zugang






*MK-9453. (2)*









120  
DE  
CHRISTO, RELIGIOSIS V. T. HOMINIBVS,  
EX VATICINIIS ET SACRIFICIIS TYPICIS NON  
INCOGNITO, PAUCA PRAEFATVS

AD

SACRA NATALICIA  
SERENISSIMI DVCIS, PRINCIPIS AC DOMINI  
FRIDERICI,

DVCIS REGNANTIS MEGAPOLITANI,  
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI  
AC RACEBURGI, COMITIS ITEM SVERINENSIS  
TERRARVM ROSTOCHII, AC STARGARDIAE  
DYNASTAE,

DONINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

SOLLEMNIORIBVS PVBLICISQVE ORATIONIBVS  
IN GYMNASII MAIORI AVDITORIO

DIE V. IDVVM NOVEMBRIS A. R. S. c1o1oCCLXXV.

OMNI PIETATE HORA, ANTE MERIDIEM,

DECIMA AGENDA,

SPLENDIDISSIMAM  
MAECENATVM ILLVSTRISSIMORVM,  
PATRONORVM


SVMMORVM FAVORVMQVE  
FREQUENTIAM

QVA FIERI POTEST OBSERVANTIA,  
DESIDERAT ATQVE EXOPTAT

M. IO. GABR. PRIES,  
DVCALIS GYMNASII GVSTROVIENSIS RECTOR.

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

1775









Etsi dubium nobis non esse videtur, quin pii et sancti V. T. homines, tam clara, certa et copiosa, qua nos sumus collustrati, doctrinarum salutarium cognitione sint destituti; illos tamen Christum, aeternaeque salutis rationem, ad quam mortalium quisque fiducia et spe pervenire potest, plane ignorasse, nos quidem non arbitramur. Christus enim eiusque discipuli, quos V. T. loca minus rectius interpretatos esse, quam res ipsa posceret, nefas et turpe est dicere, Iudaeos ipsos ad ecclesiae suae libros, quos divinos esse credebant, et ad nostra peruenisse tempora liquet, hac de re consulendos remittebant, Ioh. V, 39. Actor. X, 43. Luc. XXIV, 44. 2 Timoth. III, 15. 2 Petr. I, 19. Grauitur igitur dolendum esse puto, non paucos clarissimi nominis viros in

A 2

ecclesia

ecclesia nostra hodie Arminianis, ac Socino cum gregalibus  
 adstipulari, qui V. T. locis, in quibus Messias est praedictus,  
 et ab ipsis N. T. scriptoribus diuinis probe cognitus, sensum  
 adscribunt falsum, frigidum, ac saepe ineptum. Quodsi enim  
 regula: vi cuius in explicandis scriptoris cuiusdam V. T.  
 dictis, N. T. interpretis sententia et auctoritas sit sequenda,  
 non diutius teneatur; ex codice sacro, quicquid libet, efficere  
 sane licebit. Accidere enim vnquam posse, nemo prudens  
 aestimabit, vt, quum scriptorum vterque ab eodem numine  
 afflatus sit diuino, alteri alter aduersetur. Non igitur est, quod  
 mireris, tot et tam monstrosas: quod ante Mosen homines  
 per religionem naturalem, sub Mose vero per legem, ab ipso  
 latam, aeternam salutem sint consecuti, enatas esse opiniones.  
 Sed quae vis, quae erit verborum potestas, cui sint subiecta  
 scripturae loca, in quibus Dei decreta de vita aeterna propter  
 Christi satisfactionem speranda ante secula i. e. ab omni aeuo  
 esse, illa lucide testatur 1 Petr. I, 20. Ephes. III, 9. 11. 2 Tim.  
 I, 9? nulla, inquam, notio, nullusque iis respondebit sensus.  
 Quam valde igitur, dici vix potest, tota tum Iudaicae, tum  
 Christianae religionis ratio ab iis conturbetur, qui Deum in  
 omni vitae genere honestos homines, modo hac, modo alia  
 ratione felices reddendi iniisse consilium docent. Fuit, scri-  
 ptura sacra teste, vnum idemque de hac re Dei decretum Act.  
 XV, 11. Ioh. VIII, 56. quod nulli, sicut ipse Deus, obnoxium  
 est mutationi. A primis vero rerum humanarum initiis id ob  
 varias causas effectum dare, Deo non ita visum est, quarum  
 haec est praecipua, quod antea vaticiniis, prodigiis, miraculis,  
 aliisque figuris Christi et imaginibus opus erat, quibus satisfac-  
 tio ea, quae Deum decet, ratione praestanda adumbraretur,  
 hominesque eo adducerentur, vt promissis diuinis eo magis  
 haberent fidem. Nullum eam ob causam diuinae sapientiae  
 magis accommodatum erat tempus ad perficiendum illud de-  
 cretum, quam id, quo Dei filius naturam induit humanam.  
 Tam misera enim et tristis rerum, quae ad Dei cultum perti-  
 nent, ea aetate erat facies, et tanta morum apud Iudaeos, et  
 ceteras gentes corruptio, vt eos sine ope diuina emendari non  
 posse, prudentiores facile intelligerent. Nec in terrarum orbe,  
 quam

quam late patet, alius quisquam populus, nisi Iudaicus potuit inueniri, a quo rerum, a Christo eiusque amicis gestarum fama ad alias nationes citius peruenire potuit. Quemadmodum enim hic populus olim tribus summis Assyriorum, Persarum, et Graecorum imperiis, sic tunc temporis Romae erat subiectus, quae dicitur profanis scriptoribus caput mundi, arx omnium gentium, ac Dea terrarum gentiumque, cui par nihil, et nihil secundum. Vnde intelligitur, quod a Palaestinis Iudaeis ad ceteros, quibus erat eadem religio, idem codex diuinus, eadem leges, ac eadem sacra, rumor rerum, quae ea acciderunt aetate, diuulgari potuerit.


Hoc decretum de hominum felicitate, quod ab omni aeuo fuisse, et tempore opportuno ad exitum perductum esse inuimus probatum, hominibus, postquam miseri et infelices esse coeperunt, Deus cognitum reddidit atque perspectum. Id quod tum ex diuinis promissis et vaticinationibus, tum ex sacrificiis typicis iisque cruentis colligendum esse, nemo, nisi qui hac de re sinistre cogitat, in dubium vocabit. De singulis huius rei partibus breuiter modo dicam. Primum ex isto, quo tradi proteuangelium Theologi nostri recte censent, loco Genes. III, 15. patet, quod ex Adami prole et posteris is sit nascendus, propter quem errati venia a Deo possit impetrari, quique ab omnibus malis, quae ex istius crimine profecta sunt, genus humanum sit liberaturus. Is enim, qui ibi dicitur mulieris semen, in aliis locis appellatur Abrahae semen, ac Dauidis filius, h. e. Messias. Docemur nos ex Libr. Sapient. II, 22. antiquam ecclesiam iudaicam in ea fuisse opinione, quod anguis nomine spiritus ille ex orco sit intelligendus, ne quid dicam de Christi et eius amicorum explicatione Ioh. VIII, 44. Quis ergo est serpentis illius victor, quis eius destruxit opera? Nemo sane, nisi Messias. Mirum hinc mihi est, qui fieri potuerit, vt summe reuerend. Abbas, Ierusalem, variae doctrinae Theologus, in libro de religione, eiusque Part. 2, Messiam in hoc loco non nouerit. Magis vero id mirandum est, quod vir clarissimus, qui religionis historiam consignandi initium fecit, ne peccati quidem originis, quod admisit per hominum



primum, mentionem iniecerit, nec quoque anguem illum, qui eos fallebat, videre potuerit. Librum qui attentam perlegerit mente, auctorem eius loca, in quibus de Messia agitur, aut silentio praeterire, aut peruertere statim perspiciet. Ego quidem vereor, ne anguis lateat in herba. Nobilissima deinde omnium, ne quid disputem de Henoch, et aliis, Deo deuotis viris, a quibus religio propagata fuit, promissionum, Abrahamo factarum, spectat ad istius filium, a quo omnium hominum summa penderet salus Genes. XII, 3. XIII, 6. Christum hic intelligi, dubitare minime sinunt ea, quae Paulus Rom. IV. et Galat. III, 8. 14. 18. monet, ubi numerum plurium a singulorum numero non sine gravissima causa distinguit. Non nescio, ad Hebr. XI, se recipere, errori suo patrocinium quaesituros, nec diffiteor, in hoc capite exempla quaedam esse eiusmodi, ut non ad fidem iustificantem pertinere videantur, sed ad fidem, cuiusque vel dicto, vel promisso tributam. Finis tamen disputationis, pertinens ad fidem iustificantem Hebr. X, 39. arguit, hanc alteram fidem gratam Deo iudicari ex eo, quod ab illa esset profecta, existitque argumentatio haec, ut, si omnis fides Deo grata fuerit, et praemium sit nata, multo magis eo gratos Deo reddat homines, quae ad insignem de vita aeterna, propter Christum speranda, pertineat promissionem. Fuit Abrahamus ea auctoritate, ut aliae gentes eum Principem haberent, cui ad Deum aditus pateret Genes. XXIII, 6. coll. Genes. XXI, 22. Sabaei quoque, Persae, et Indi, testante Herbeloto in Biblioth. Orient. p. 12. eum colerent melioris religionis auctorem, et Lacedaemoniis eius memoria post multa secula fuerit sacro-sancta. I Maccab. XII, 21. unde simul cognoscitur, qua ratione rerum diuinarum cognitio ad remotissimas gentes fluxerit. Sed ex eruditissimi nostri Abbatis explicatione Deus modo Abrahamo fecit singularis de ipsius sobole providentiae, in ultimis adhuc temporibus conspicuae promissionem. l. c. pag. 311. seqq. et 320. seqq. Sicuti igitur in hoc loco, ita in aliis quoque Messiam non vidit. Angelus Domini, qui ancillae, cui nomen Hagar erat, apparuit Genes. XVI, 7. diserte dicitur Iehoua. v. 13. Illi vero est visio, et phantasma, idque comparat cum Deorum imaginibus, qui


qui sacra facientibus terga dabant. l. c. pag. 306. seqq. Iehouam, qui Abrahamo primum et Loto Sodomae excidium annunciabat, componit cum Pallade, et Abrahamum cum Telemacho, Vlyffis filio, aduenas hospitaliter excipiente, a quibus Poëtarum ineptiis animus noster merito abhorret. l. c. pag. 314. seqq. Locum illum: Iehoua a Iehoua de caelo sulphur et ignem depluit, Genes. XIX, 24. ita reddit: Iehoua sulphur et ignem Ioue ab alto etc. l. c. pag. 314. Religiosi Theologi nostri ex hoc dicto plures in Deo esse personas colligunt, hic vero conspicit Iouem Capitolinum. Ne, quaeso, nos cum Ioue viuamus, sed Christum eiusque religionem profiteamur!

Veritatis caelestis luce alios quoque homines, vitae integros, extra ecclesiam Patriarcharum viuentes, nimirum Melchisedecum Genes. XIV. Iobum, eiusque amicos, Iob. XXXII, 8. XXXIII, 15. IV, 12. 15. 16. Bileamum, idolorum licet cultorem, Num. XXIII. a Deo fuisse collustratos, nemo animo fluctuare potest. At in ecclesia Iudaica sunt longe plura Dei amoris ac bonitatis signa: nam quo propiora sunt N. T. tempora, eo clarius lux doctrinae salutaris affulsit terrarum orbi. Nulla erat lex, nulla institutio, siue rem publicam, siue ecclesiam istius gentis spectes, quin a Deo per Mosen fuerit sancita Exod XIII, 6. Quare eius diligentiam et fidem Paullus ornat laudibus, qua libros sacros seruauit incorruptos, et ad ipsius tempora propagauit Rom. III, 2. XI, 4. Pleni sunt isti libri de Messia vaticiniis. Moses ipse, quum e prouincia decederet, Prophetam esse venturum, praedixit Deuteron. XVIII, 15. quem Christum esse nouerat Philippus Ioh. I, 45. Rex Vates, ille Dauides luculentissima huius rei testimonia dedit in Psalmis II, VIII, XVI, XXII, XXIV, XL, XLV, LXV, LXVIII, LXIX, LXXII, LXXXIX, CX, CXVIII, quos, quum eos eo animo traderet ecclesiae, vt ab omni illos vindicaret corruptione, vberius ab eo esse explicatos, veri simile mihi esse videtur. Et quanta diuinationum copia ex reliquorum Prophetarum libris adferri potest, nimirum Ies. II, 2. IX, 6. XI, 1. 2. XLII, 1. XLIX, 6. L, 4. LII, 13. LIII, LIX, LX, 1. LXI. Ierem. XXIII, 5. 6. XXXIII, 14. Ezech. XXXIV, 23. Dan. II, 44. VII.



VII, 13. 14. IX, 24. Hof. III, 4 5. Ioëlis III, 1 — 5. Mich. IV, 1. V, 1. VII, 18 — 20. Habacuci III, 2 — 4. Haggæi II, 7. 8. Zachariae VI, 12. VIII, 22. IX, 9. XIII, 1. Malach. III, 1. IV, 1. 2? Quae loca et multo plura, si N. T. scriptores consulis, nullum alium nisi in Christum transferri possunt. Has praeclaras vaticinationes aliis quoque gentibus, extra Palaestinam agentibus non fuisse obscuras, persuasum habeo. Vates enim illi diuini, id quod in primis fecerunt Iesaias, Ieremias, Ezechiel, ac Daniel, fata siue laeta, siue minus prospera praedicebant ipsarum imperiis imminencia, et hac re commouere illas studebant, vt, abiecto Deorum cultu, se religioni Iudaicae addicerent. Atque haec sine omni dubio fuit causa, quam ob rem ad Idumaeos Abdias, ad Niniuitas Ionas, ad Babylonios Daniel atque Ezechiel non sine Dei numine migrarint, ac vaticinati sint. Qui tandem reputat, diuino iussu quoscunque aduenas fuisse admissos, iisque se populo Iudaico immiscendi potestatem esse factam Exod. XII, 48. Leuit. XXIIV, 22. Num. XV, 16. Deuter. X, 18. 19. ille homines pios et probos iam ante N. T. tempora Messiae et salutaris doctrinae ac fidei non fuisse plane ignaros et rudes, ambigere non potest.

Ad alterum argumentorum genus progrediamur, nimirum ad typos, quibus nostram sententiam aequè clare euinci posse credimus. Deo enim ita placuit, quum hominum quam plurimi rebus, in sensus cadentibus, delectentur, magisque moueantur, eos non tam doctrinis, quam typis, vmbri et imaginibus, eorum ingenio admodum aptis, simul imbueret, et sub iis beneficia spiritualia repraesentare. In sacris litteris res, quae alteram denotat, appellatur modo *ὁ τύπος* Rom. V, 14. modo *τὸ γράμμα* Rom. II, 27. 29. et denique *ἡ σκιά τῶν μελλόντων* Coloss. II, 17. res autem, quae describitur, *τὸ ἀντίτυπον τῶν ἀληθινῶν* Hebr. IX, 24. *ἡ ἀλήθεια* Ioh. I, 17. *τὸ πνεῦμα* Rom. II, 29. *τὸ σῶμα* Coloss. II, 17. Nulla vero in re ad errores maiorem esse ingenii humani propensionem, quam in illustrandis scripturae typis, nos Origenis, Cocceii, eiusque affecla-




9

asseclarum exemplis docemur, qui sensum mysticum codici sacro inferunt. Homines pii et boni saepius dicuntur sacerdotes, qui Deo sacrificia offerunt spiritualia. Eos tamen non esse Christi imagines, et typos, quis est, quem fugiat? Eiusmodi enim dicendi genera habent troporum, et figurarum grammaticarum vim et potestatem, idque modo probant, istiusmodi homines ideo cum illis comparari, ut singulari amore diuino ac numine digni habeantur, aequae ac V. T. sacerdotes, eorumque virtutes, quod ex fide proueniunt, Deo gratas sint, atque acceptas, et quasi sacrificiorum loco reputentur. In tuto igitur omnis res erit, si modo eos typos hoc nomen tueri asserimus, quos esse N. T. scriptores affirmant. Sic Melchisedecus, Genes. XIV, 18. Ps. CX, 4. coll. Hebr. VII, 1. serpens aeneus, Num. XXI, coll. Ioh. III, 14. Ionas, vates diuinus, Ion. II, 1. coll. Matth. XII, 40. ingressus Pontificis in sanctissimam Leuit. XVI, coll. Hebr. IV, 14. VI, 20. VIII, 1. IX, 12. 24. sine omni controversia pro typis habentur. Quod si enim Christus, eiusque discipuli V. T. typos vberius explanant, et quis eorum fuerit usus et finis, fusius declarant, ad Christum trahunt, et denique leges caerimoniales, a Mose promulgatas, N. T. aetate esse abrogandas, praecipiant; non est, quod de certissima regulae istius veritate dubitetur. Quare et eorum nemo est audiendus, qui N. T. auctores ad populi Iudaici ingenium sese composuisse, typos esse euentos, et excogitasse, hodie sibi persuadent. Spectat ista opinio eo, ut caelestis inflatus, cuius ope N. T. libros esse consignatos docemus, impugnetur, atque omnis scripturae sacrae auctoritas infirmetur. Fuerunt in eo errore quam multi. Faust. Socinus in Oper. Tom. II. p. 589. scribit: „figurata, et ad vulgi captum accommodata significatione Christus verbum Dei appellatur.“ Bened. Spinoza gente Iudaeus, tandem ex philosopho Atheus, in Tractat. Theologico-politico de libertate philosophandi C. XIV. p. 159. tradit: „ad veram fidei cognitionem apprime necessarium esse, scire, quod scriptura adcommodata sit, non tantum captui prophetarum, sed etiam varii et inconstantis Iudaeorum vulgi, nemo, qui vel leuiter attendit, ignorare potest.“ et p. 162. fides, inquit, non tam requirit vera, quam pia „dogmata

B

„dogmata






„dogmata h. e. quae animum ad obedientiam mouent. Tam-  
 „etsi inter ea plurima sint, quae nec umbram veritatis habeant,  
 „dummodo is, qui ea amplectitur, falsa esse ignoret; alias re-  
 „bellis necessario esset. Hinc ad ipsa etiam virorum sacrorum  
 „praeiudicia Deum suas de rebus fidei reuelationes attemperasse  
 „fingit, „ Annotauimus haec eam ob causam, vt et alii sciant,  
 a quibus magistris hanc regulam nonnulli aetatis nostrae inter-  
 pretes didicerint.

E typorum numero sunt sacrificia, quae vtrum a Deo ho-  
 minibus sint praescripta, an humano ingenio pie reperta, et a  
 Deo probata, aliquid controuersiae est inter viros eruditos.  
 Romanae ecclesiae doctores, vt Missae sacrificio praesidium  
 parent, et Socinus in Praelect. Theolog. C. 22. cui et recentio-  
 res nonnulli e nostra ecclesia adfertiunt, vt sacrificia nihil ad  
 Messiae sacrificium expiatorium pertinuisse vincant, non diui-  
 nitus esse instituta, docent. Sed qui litterarum sacrarum diui-  
 nitatem agnoscunt, de eo non dubitare possunt, quin Noachus  
 et Abrahamus a Deo iussi sint, victimas caedere, et tota Mo-  
 saica sacrificiorum disciplina ab ipso sit ordinata. Diuina sa-  
 crificiorum, quibus Adamus eiusque filii Deum coluerunt,  
 origo nonnullis dubia esse videtur, quia argumenta, quae pro  
 ea adferri solent, apud subtiliter rem aestimantes non mul-  
 tum valent. In quibus hoc praecipuum est, quod in sacrifi-  
 ciis, humano ingenio inuentis, εθελοθρησκείαν esse aiunt,  
 quam Deo minime probari, Adamus ignorare non potuerit.  
 In quo viri eruditi religionem ipsam cum institutis et caerimo-  
 niis ad exercendam pietatem aduersus Deum inuentis, con-  
 fundere videntur. Religio enim est in fide, et animi pietate,  
 nihilque coniuncti habet cum externis rebus, quibus nulla vis  
 inest ad Deum expiandum. Ego vero Adami sacrificia a Dei  
 praecepto deriuanda esse, vt credam, his praecipue commo-  
 ueor rationibus. Quum Deus ipse de sabbati die constitue-  
 rit, et illam vacare a negotiis, ac vitae humanae curis, cultui-  
 que suo sacram esse veller; valde credibile est, eum etiam de  
 ratione sui publice colendi per sacrificia sanxisse, praesertim  
 quum videamus, postea Sabbatis Iudaeorum, festisque diebus  
 maxime

maxime sollempnem fuisse in sacrificiis caerimoniam. Deus hac re consulere homini voluit, vt certus esset, eam rationem ipsi probari, seque sacrificiis, si fides et pietas non desit, gratum ei facturum. Edoctus erat praeterea primus homo tristi experientia, quam periculosum sit, in rebus, ad Deum pertinentibus, suum potius iudicium, quam Dei ipsius sequi. Quare ad veritatem propius accedit, quod sua sponte in religione aliquid instituere non sit ausus, sed omnia ad diuinum retulerit praeeptum. Nec concipi potest, vnde de eiusmodi cultu hominibus sapientibus in mentem venerit, quum eos non fugeret, animalia esse ad vsum humanum destinata, nec eorum carnem igne esse abolendam. Verendum vtique erat, ne in offensionem Dei incurrerent, qui nos rebus creatis abuti, non aequo fert animo. Abelis tamen victima Deo fuit grata, ac accepta Genes. IV, 4. Signum fauoris ac diuinae beneuolentiae erat fulgur, seu ignis e caelo delapsus, victimam incendens, Leuit. IX, 24. 1 Paral. XXI, 26. 2 Paral. VII, 7. vnde factum est, vt Iudaei Davidi, Regi suo quaeuis fausta precaturi, id Deum rogent, vt sit omnium munerum et hostiarum eius non immemor, sed eas vertat in cinerem Ps. XX, 4. Vetustissimus translator, Theodotion hanc confirmat sententiam, dum locum, ex Mose adductum his verbis: *ὄχι ἐνεπίσησε*, et incendit, illustrat, nisi cum Clarissimo et doctissimo Prof. Tychsen, in Tentam. p. 69. ex graeca scriptura, quae eum forsitan fefellit, istius rei rationem repetere malis.

Paret itaque ex his, quae vberius disputauimus, sacrificia non primorum seculorum tenebris ex S. R. Ierusalem opinione l. c. p. 183. \*) sed Dei praeepto suam debere originem. At cuius erant indolis? Abelis cruentum fuisse, qui colligunt

\*) Ex ecclesia Reformata illi adiungo Ioh. Iac. Hessium, qui in libro de tribus vltimis vitae Iesu annis negaverat, Christum esse Deum, et Spiritum sanctum personam diuinam. Hic in libro, qui inscribitur: *Der Plan der göttlichen Anstalten und Offenbar.* non erubuit cum orbe erudito communicare verba sequentia: *Das höhere Wesen hat sich herabgelassen, nicht bloß sich mit den Menschen zu besprechen, sondern*



ligunt ex Hebr. XI. 4. illi non reputant, Paullum sequi interpretes Alexandrinos, qui voce *Soluta* tam cruentum, quam incruentum exprefferunt, eandemque de Cainis munere vsurpant. Rectius id vero probatur ex Mosis verbis Genes. IV, 4. Idem mos temporis progressu inualuit apud ceteros Patres, nam Noachus exstruxit altare, et ex animalium, quae diuino cultui inferuiebant, mundorum genere quaedam interfecit. Genes. VIII, 20. Abrahamus vitulam, capram et columbas offerebat Genes. XV, 9. eiusque nepos, Iacobus nouas, vt maiorum suorum exemplum et pietatem sequeretur, aras aedificandas curauit Genes. XXXV. i. in cuius tempora Iobi aetatem incidisse viri eruditi contendunt, qui eum ab Esauo genus ducere, ex Genes. XXXVI, 33. probare student. Hic Iobus dedit huius rei documentum C. XLII, 8. quo clarius et illustrius esse non potest. Quid enim magis requiritur, ac flagitatur ad sententiae, cui addicti sumus, probationem? Praeceptum immolandi? Sapientibus dicitur, sumite. Sacerdoti munus iniunctum? Iobo munus defertur sacrificandi et orandi pro amicis. Victimam? Sumite iuuenos et arietes. Ritus et caerimonia? Praescribitur holocaustum. Sacrificii vis et efficacia? Erat Dei irati expiatio, venia delicti, et ad Dei gratiam reditus.

Sacra haec Deo, eiusque virtutibus non erant indigna. Caedes, quae animalibus afferebatur, figurabat mortem temporariam, et carnis exustio supplicia praesentabat, quae post fata quoque omnes manerent, qui noua crimina et flagitia admitterent. Qui igitur Deo eiusmodi faciebat sacra, se, tanquam maximis criminibus reum, apud Deum profitebatur, simulque testabatur, iustas ac debitas esse poenas, tam temporarias, quam

*Sondern sogar mit ihnen zu speisen, und sich von ihnen geben zu lassen, was sie ihm freudig von ihren besten Paradiesfrüchten aus dankbaren Herzen brachten, und anzunehmen baten, pag. 87. Dem Opferer schwebte die Idee vor, die Gottheit speise mit ihm, zumal wenn er selbst mit von dem Fleische des geopferzten Thieres aß, dauon er die edelsten Theile im Feuer gen Himmel geschickt, mithin zur Götterspeise gemacht. pag. 222.*

quam aeternas, quibus Deus, omnium feuerissimus iudex, ipsum posset multare. Nemo enim erat adeo stupidus, quin intelligeret, Dei iram hostiis, aequae minus restingui, ac per leges ciuiles licere, vt, qui in carcerem esset trahendus, sui ipsius loco bestiam quandam in vincula conuicere vellet. Inde sequitur, vt et sacrificia cruenta iam Protoplastis, quibus spem veniae Deus fecerat, satisfactionis vicariae fuerint documento. Significabant praeterea Dei amorem erga miseros homines, quum mortem, cui obnoxii erant, in bestias transferret, et eorum saluti et vitae optime prospiceret. Denique erant foederis signa, quod Deus cum hominibus inibat. Sicuti enim immolantibus veniam et impunitatem dederat Deus; ita illos monebat, vt in posterum vitam sancte et pie agerent, ne foedus denuo rumperent, id quod illis esset crimini. Quam ob rem nitide et praeclare canit Afaphus Ps. L, 5. Sancti mei ferientes foedus in sacrificio, i. e. qui non ex consuetudine solum sacrificant, sed et foedus cum Deo ineunt, ac caste illud seruaturi, hostiarum sanguine sancunt. Inde ortum est dicendi genus: sanguis foederis, et hoc est nouum foedus, sanguine meo factum Exod. XXIV, 8. Zach. IX, 11. Matth. XXVI, 28. 1 Corinth. XI, 25.

Victimas eas Christi, eiusque mortis fuisse imagines atque umbras, res est certa et expedita. Audiamus primum Regem, et vatem, Dauidem, Patrum piorum religionis, atque Iudaicae non nescium. Hic Ps. XL, 7. seqq. personae cuiusdam iniicit mentionem, quae ne vllum quidem sacrificiorum genus ad iram Dei emolliendam quicquam valere, diserte affirmat. Pollicetur tamen, foris aliquando, vt se in istorum locum substituatur, et ea, quae Moses in libris suis de iis praeceperat, exsequatur, Deoque simul offerat omnium gratissimum sacrificium. Quis vero est, qui haec faciat verba? Minime Dauides, Ieremias aut Daniel, id quod contendunt Iudaeorum magistri, nemo enim illorum pro mortalium peccatis supplicium tulit, ac mortem obiit. Paullus, qui legum Mosaicarum explanator erat optimus, omnem scrupulum nobis euellit ex animo, quando Messiae sermonem esse docet. Hebr. X, 5. seqq.

B 3

Non



Non possum, quin addam locum alium, aequè clarum atque perspicuum, Apocal. XIII, 8. Sunt, qui voces: ἀπὸ καταβολῆς κόσμου ad verbum γέγραπται trahunt, ne sententia de agno, ab ineunte mundi aetate mactato, nimis dura esse videatur, eamque lectionem ex loco parallelo C. XVII, 18. coniiciunt. Nostra parum interest, vtra lectio praevaleat, neutra enim nostrae aduersatur doctrinae. Qui illi fauent, concedunt, homines pios, quorum nomina libro vitae ab omni aevo sunt inscripta, salutem suam agno, de quo agitur, referre acceptam. Qui vero lectionem retinent vsu receptam, id fatebuntur, Deum ab aeterno decreuisse, necem agni istius non impedire. Quem autem later, agnum esse Messiae figuram, quum hoc nomen a vatibus V. T. quid? quod a Iohanne Baptista ipsi fuerit impositum? Quam praeclara igitur est vtriusque religionis consensio! Quam amica vtriusque Testamenti consociatio! Si vero in contrariam iueris sententiam, quanta confusio! Quae tenebrae! et qui dissensus! Dic, quaeso, quae sit capitis noni ad Hebraeos significatio? quae inter Christum, et V. T. sacerdotes comparatio? Quae sanguinis Christi, et hircorum oppositio? Quae eius expiationis praestantia? Quae melior N. T. prae V. T. conditio? Quae sponsoris istius dignitas? Dic, quaeso, quae sit locorum significatio, in quibus sunt dictiones, de sacrificiis hilasticis ad Christum translatae v. g. scelerum nostrorum imputatio, ac gestatio. Dic, quaeso, quae sit dictorum interpretatio, quae Christi expiationem non pro se, sed pro nobis, ac toto terrarum orbe factam esse confirmant, quis denique vaticiniorum sit sensus, quibus N. T. aetate abrogatio legum caerimonialium praedicitur, atque praecipitur? Haec qui oracula diuina ita explicat, vt nexum, qui inter victimas V. T. et inter Christum intercedit, non videat typicum, is verum in falsum vertat, necesse est. Non tamen cum quamplurimis hodie illum nexum videt S. R. Tellerus in vocabulario N. T. voce sacrificii p. 284. \*\*) Quae enim hac de re pluribus

\*\*) Weil die ganze Absicht der Lehre Jesu darauf ging, eine herzlichere Verehrung Gottes mit Aufhebung aller Opfer einzuführen, so wird den Juden, denen ihr Opferdienst so sehr am Herzen lag, zu ihrer Berubi-


bus disputat, eo modo spectant, ut Christus doctrina sua et praeceptis prauos hominum mores emendauerit, eosque vitam, Deo deuotam et sacram agere iusserit. Quis vero est, qui Christi munus propheticum a munere sacerdotali mirum quantum differre nesciat? Nonne hoc est doctrinarum caput, quas omnes amici Christi annuntiarunt? Quis igitur vnquam affirmabit, sacrificia V. T. figurasse et adumbrasse Christi discipulos, ceterosque fidei caelestis doctores?

Ab vbetiori doctrinae de sacrificiis hilasticis discussione mentem reuocat munus Eucharisticum, quod pro Ducis Serenissimi, ac Principis Indulgentissimi FRIDERICI, Patris patriae Optimi salute et prosperitate die eius natali, Deo, qui numine suo sanctissimo et replet omnia, et gubernat, debet Gymnasium nostrum. Parant iam sacra nonnulli iuuenes praeclarae indolis, et multae spei, ac sequenti ordine verba facient.


1. HENRICVS AVGVSTVS KRAVSE, Plauiensis, Natalem Serenissimi Ducis indicet, et de virtutum notione, quas coluerunt Gentiles, Teutonum ore differet.
2. CHRISTIANVS LVDOVICVS MEINCKE, Suerinensis, de Principis amore erga eos, qui parent, tanquam ciuium felicitatis fonte, Gallica lingua dicet.
3. GVSTAVVS CAROLVS BÖTTGER, Neokaldensis, de Principibus, imperio magnis, exemplo maioribus, lingua Quiritium differet.
4. IACOBVS FRIDERICVS LEPPHEN, Neostadiensis, boni Principis virtutes carmine patrio canet.

Eundem

*Beruhigung der Tod Jesu, als ein Opfer, und zu ihrer Selbstbesserung das beständige gottgefällige Verhalten, als das Opfer vorgestellt, welches sie alle Tage, aller Orten und in allen Umständen Gott darbringen sollten. Man wird hieraus am besten beurtheilen können, warum Jesus selbst seinen Tod, nie ein Opfer genannt.*



Eundem honorem, quo me Pridie Calendarum Nouembris  
dicentem ornastis, eandemque benevolentiam, a Vobis Illu-  
strissimi Maecenates, et succrescentis in patriae spem iuuentu-  
tis Fautores Optimi, et a reliquis, quibus haec tabella tradetur,  
Musis nostris officiose expetimus. P. P. Gustrouiae VI, Iduum  
Nouembris, A. R. S. c1c1cCCLXXV.














als auf den Staat seyn. Er wird einer zügellosen  
heit, woraus Spaltungen, Sectirerey, Verfol-  
d Notten entspringen, mit sanftmüthigem Ernst  
hun. Er weiß es, daß die Religion, die Christus  
dem Staate gute Bürger, arbeitsame, aufrichtige,  
ehrlische und rechtschaffene Unterthanen verschaffet.  
es, daß die so theuer erworbene Bekenntnißbücher  
irche eine Schutzwehr unsrer Ruhe und Sicherheit  
onsübungen sind. Er wird daher diese gegen alle  
ngen in seinen Schutz nehmen. Dem Höchsten  
! daß wir noch in so manchem Minister, von dessen  
Weisheit und Klugheit die Wohlfahrt ganzer  
abhänget, einen Freund Christi, der seiner Reli-  
e macht, hochzuschätzen, das Glück und die Freude

dieser Betrachtung giebt mir die milde Stiftung,  
thätige Gesinnung Sr. Excellenz des Hochwohl-  
en Herrn, Herrn Christian Ulrich von Ke-  
— — — gegen unsern Musentempel Gele-  
Nach diesem Institut, welches dem Herrn Gehei-  
zum unvergeßlichen Ruhm gereichen wird, soll das  
t der Reformation des großen Luthers am 31sten  
durch eine deutsche Rede, welche der Feyer dieses  
maß ist, vor den öffentlichen Lehrstunden dem Höch-  
Preise jährlich erneuert, und unter fleißige und ge-  
schüler Bücher ausgetheilet werden. Keine Zeit  
wohl mehr die Erneuerung dieser Wohlthaten, wel-  
seiner Kirche erwiesen, als eben die gegenwärtige,  
e von so vielen verkannt werden. Der Herr Ge-  
th hatte im vorigen Jahre sein funfzigjähriges Amts-  
auf einem seiner Rittergüter gefeyret, und war  
n von dem Allerhöchsten mit vieler Munterkeit des  
und Leibes gesegneten hohen Alter von einer zahl-  
reichen

